ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Constantino Hugenio

C. Barlaeus S. P. D.

Iamdudum ad te, etiam in castris haerentem, scripturiebam, Hugeni clarissime. Verum cum didicissem nihil Musis cum Marte commune esse, et humaniores litteras classicorum strepitus aversari, officium styli in hoc tempus distuli. Gaudeo equidem te ex Bohemiae regno hospitem et incolumem ad tuos reversum, et vagos castrorum situs stabili magisque salubri loco commutasse. Habes et domi ubi castrametari possis, sed extra teli jactum, in Polybii aut Vegetii campis. Vallos, propugnacula, aliaque exercitus munimenta formabunt tibi apud Annalium scriptorem Germanicus et Drusus. Illa lustrare et oculis usurpare licebit, etiam post indictum castris silentium, et sacra vigiliarum tempora. Minus te in ista arena afficiet Vari clades, caesae legiones, aquilae raptae, quam turbatae nuper Batavorum phalanges, captus Stirumaeus ~~[illegible]~~ et manu, voce, vulneribus pugnam sustentans Dominus de Potlitz. Si vinctum Rhenum, si pontes ~~sublicios~~ mobiles visere amas, dabunt tibi in Menapiis et Trevirorum finibus sublicios Caesaris commentarii. At Principis victoria oberrare muneris tui. Esto. Habet et illa apud Curtium Pellaeus juvenis. Denique si classium placet conspectus, quantas tibi depinget epitomator Trogi, quantas Patavinus in Lilybaeo portu. Facies hanc belli, cum voles, domi etiam videre et stupere, ipse securus quid Tyridatem terreat unice, et quid dux Ligurum meditetur orae. Ego castra nec amo, nec sequor, nisi forte illa, in quibus imbellis cum matre puer, remotis arbitris, citra ullius invidiam, sacra sua peragit. Aliorum bellorum narrator esse malo, quam spectator, quam actor, nec in illa fabula Pyrgopolinices sum aut Davus. Si quid hebdomadales chartulae nobis impertiant, quod boni sit commatis, avidus illud arripio, et bene cum patria agi arbitror, cum tantis historiis habitam fidem, curam, bellique momenta probaverim. Sed haec per jocum. Snellii nostri Mathematici summi eclipsin intellexisti. Eius manibus hoc carmine parentavi, in quo Constellationes, quas vocant, omnes breviter perstrinxi. Praeterea ~~mitto~~

Ausonias arcus, et moenia clara triumphis
Accipe, nec nostrae sordeat artis opus.
Dissimilem domini quamvis haec pagina nomen,
Debebit Domino non minus illa suo.

Nomen non adscripsi, quia Italiam ipse non vidi, et ex aliorum solummodo narrationibus sapiendum mihi fuit, quorum, si quis forte fuerit, errorem et culpam praestare nolui. Vale Hugeni praestantissime, et fratri tuo a me salutem. Me ut redamandi non putas, ita candorem odisse non possis. 14 Decemb. 1626

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/332

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/332

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/332

Aen mijn heer
mijn heer Constantinus
Huijgens secretaris van sijn
Excellentie ende
woonende t'einde het voorhout

Haghe

port
met een packetje
16. 10b. 26.